


FATUM
SOCIETATIS JESU.

CARMEN

IN SCRIPTIS POSTHUMIS CELEBERRIMI

MICHAELIS DENISII

REPERTUM VINDOBONAE 1800.



Lit. Lat.

rec. A.

385, 24^m -.

MUTUM


SCIENTIARUM

CAROLINAE

BY JOHANNES HORNIGIUS CAROLINAE

INSTITUTIUM

LIBRARIUS



Pauca sodalitii superant jam membra beati,
Cujus ego quondam pars quotacunque fui.
Cujus in excidium solers armavit avernus
Quidquid ei toto militat orbe mali.
Venales pretio linguæ, mordacia scripta,
Confictique metus, livor, opumque fitis,
Agmine nos facto circumfremuere, nec usquam
Cura laborantes ulla levare fuit.
Nil juvat, ingenuis teneram formasse juventam
Artibus, et mores edocuisse bonos,
Tot claros genuisse viros, quos nescia mortis
Innumeris loquitur fama voluminibus,
Semina divinæ legis sparsisse per urbes,
Oppida, et agrestis fumida tecta casæ,
Pulvillis Regum morientum, inopumque grabatis
Advigilasse pari nocte dieque fide.
Tinxille extremas fudore, et sanguine terras,
Quas oriens Phoebus lustrat, et occiduus,
Ut regio nusquam nostri non plena laboris
Pro Christo, et sancta religione foret.
Nil juvat. Exigimur laribus, disjungimur, atque
Fraterno inviti solvimur officio.
Non tamen ulla data est culpatis curia, nulla est
Legitimo nobis causa peracta foro.
Proh! tantum potuit vis conjurata malorum!
Tantum hominum cæcæ pectora noctis habent!
Scilicet aurea sæcla tibi reditura putabas
Europa! a nostri clade sodalitii

Credu.

Credula! tolle oculos, partem circumfer in omnem,
Et quæ sit facies rerum hodierna vide!
Adspicis infestos populos, agitataque regna,
Alterum in alterius proruere exitium.
Templa profanata, et pollutas cædibus aras,
Undique et horrendo diruta tecta situ,
Cive domos vacuas, desertaque rura colono,
Perfugium miseris vix super exulibus,
Insultat cælo impietas, reverentia legum
Nulla, fides cessit, fasque pudorque procul,
Omne ruit temere froenum indignata juvenus,
Et florem ætatis deterit ante diem.
Non ego sum Nemefim qui cælo devocat, aut qui
Cuncta hæc de nostro funere nata velit.
Sunt tamen, averti, aut minui potuisse ruinam,
Qui, nostro incolumi corpore stante, putent.
Signastemus enim præclaram sanguine causam,
Aut populis nostra mens rediisset ope.
Hæc alii. Mihi non tanta est fiducia nostri,
Supremi veneror Numinis arbitrium.
Quodque licet, tumulos obeo, sparsasque per orbem
Complector fratrum pectore relliquias,
Queis ubi summa dies jam fessum junxerit ævo,
Hæc erit ad tumulum spes mihi fida comes!
Posteritas, quæ non odio, nec amore feretur,
Pensabitque mei gesta sodalitiï,
Cætum talem hominum, dicet, nec prisca tulere,
Nec, conata licet, sæcla futura ferent.

Lit. Lat. rec. A 385, 24^m